



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

18 Decimae jure positivo persolvi mandantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

16 Vbi verò consuetudo † non excusat, prædialis decima debetur de omnibus terræ fructibus, & proventibus, ut de omni frumento, & grano, etiam in palea, de fabis, & aliis leguminibus de nucibus, castaneis, olivis, pomis, & aliis arborum fructibus, de vino, canape, lino, ctoco, feno quod in fasciculos redigitur, hortorum oleribus ad usum parochi, lignorum, & pascuorum, de quibus per Host. *in sum. de decim. num. 5.* & non solum de fructu, qui germinat, sed etiam de fructu, qui non germinat, qui proprie appellatur redditus, ut de molendino, de cujus fructibus decima debetur, non deductis sumptibus factis pro hujusmodi redditibus habendis, ut tenet Abbas *in cap. pastoralis, num. 2. de decim.*

17 Prædialis † verò debetur de jure divino ex communi canonistarum sententia relata per Covar. *in lib. 1. var. resol.* His accedunt innúmeræ Sanctorum Hieronymi, & Augustini, Rot. Rom. & Conciliorum Maguntia. & Trident. & tantorum Patrum in Spiritu sancto legitimè congregatorum auctoritates, à quibus solutionem decimarum Deo debitam esse, fuit pronunciatum, ut *suprà post principium, ver. primò auctoritate*, & quicquid teneat. Covar. *loco proximo citato*, & *ibi in 20 ver. præterea*, quòd nec jure naturali, nec divino decimæ debeantur, est contra communem opinionem comprobata à sacro concilio Tridentino novissime celebrato, quòd expressis verbis decimarum solutionem debitam esse Deo pronunciat, ut *in cap. 12. de reform. sess. 25.* quòd quidem contrariâ interpretationem non admittit sine Papæ auctoritate. Sed quòd integra decima pars fructuum, aut

vigesima, vel trigesima debeatur id non cadit sub divino præcepto. Verum, quòd ali quid decimarum loco Deo offeratur, ut agnoscat supremus rerum omnium Dominus, hoc jus divinum, & naturale præscribit. Azor. *lib. 7. institut. moral. cap. 37. sub ver. his positu*, & jure † positivo mandatur, ut persolvantur decimæ tanquam jure divino debitæ sub excommunicationis pœna, ut *cap. pervenit, & cap. in aliquibus de decim.*

19 Ubi autem consuetudo recepta est, & legitimè † præscripta, quòd decima non solvatur, solvi non debet, sed in solutione facienda standum est consuetudini legitimè præscriptæ, quæ vim legis habet. Hinc intrat præsumptio, quòd olim Romani Pontifices remiserint decimas laicis quodammodo titulo permutationis, pro bonis ab ipsis ad ecclesiarum, & clericorum usus assignatis, ea lege, ut dotarent ecclesias, & necessaria vitæ subsidia clericis præberent, dummodò aliquid persolvatur, & clericis necessaria ministrantur; prout pluribus in locis fuerunt ecclesiæ ditatæ, & ubique de aliquibus bonis dotatæ, ut per Azor. *ead. lib. 7. cap. 37. ver. ex his multa.*

Mista decima † est, quæ de agnis, & aliorum fœtibus animalium debetur, ut per Hostiens. *in summ. num. 3. in ver. quod sint solviturque etiam de lacte, caseo, lana, ovibus, & omnibus aliis fructibus animalium, etiam de cera, & melle apum.*

Personales † solvuntur de venatione, piscatione, de captis in justo bello, stipendio militum, lucro Advocatorum, & Procuratorum, de lapidicinis, & auri, aliorum-